

## § XVIII.

## DE CONCORDATIS GERMANIÆ.

534. *Concordata Germaniæ, quæ sint, et cur, et quando erecta?* — Quæritur I. Quæ sint concordata Germaniæ, et cur, et quando erecta? Resp. I. Per *Concordata Germaniæ* intelliguntur illa, quæ potissimum super provisione beneficiorum ecclesiasticorum in Germaniâ vacantium, inter Sedem apostolicam ex una, et principes inclytæ nationis Germanicæ ex altera parte, pro firmiori unione, pace, et tranquillitate conservanda, hinc inde statuta, approbata, conclusa, et acceptata fuerunt. Atque hujusmodi concordata Germaniæ vel maxime erecta, inique sunt ad sopiendas difficultates, et controversias nonnunquam ortas ex eo, quod Papa jure præventionis (puta, per Gratias expectativas) vel etiam jure concursus uni, et collator ordinarius, provisionis apostolicæ ignarus, alteri cuiquam idem beneficium contulisset; sicque inter ipsosmet provisos, vel etiam ipsorum familias, variæ lites subortæ fuissent. Et hæc concordatorum erectio contigit anno Domini 1447. tempore Nicolai Papæ V. et Friderici imperatoris; prout patet ex tenore eorundem concordatorum, quæ habentur tomo I. *Bullarii Romani*; constitutione prima Nicolai V. incipit: *Ad sacram Petri Sedem*: atque etiam referuntur per Georgium Branden, in principio *Tractatus super concordatis Germaniæ*; et Laurentium Nicolart in *Præmio Præaxis beneficiarum ex concordatis Germaniæ*, pluresque alios. Est autem talis.

535. *Tenor concordatorum Germaniæ refertur.*

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad sacram Petri Sedem, divina dispositione sublimati; singulis, quæ pro universalis Ecclesiæ unione, ac pace, et tranquillitate profutura fore conspicimus, apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, et ad felicem illorum prosecutionem, et consummationem, et opem, et operam impendimus efficaces. § 1. « Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster, Fridericus Romanorum rex illustris, et nonnulli alii dilecti filii, ecclesiastici, et sæculares principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noster, Joannes S. Angeli diaconus card. in patribus illis apostolicæ Sedis de Latere legatus, per nos

ad dictas partes missus, sufficienti desuper a nobis, et Sede apostolica auctoritate suffultus, ex alia parte, Romanæ Ecclesiæ, et dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, et tranquillitate inter Ecclesiam, et nationem prædictam, perpetuo solidandis, et conservandis, diversa rationabilia, et utilia, ordinationes et statuta, a partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, et concordata, fecerunt, ac ediderunt: Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, robur apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiore, et decretum interponere dignaremur.

§ 2. « Nos itaque, qui statuta, ordinationes et concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis et litteraturæ viros, diligenter examinari, et discuti fecimus; eaque rationabilia, ut salubria tam Ecclesiæ, quam nationi præfatæ foret comperimus, de dictorum, et aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ cardinalium, consilio et assensu, apostolica auctoritate, et ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, et acceptamus, et præsentis scripti patrocinio communitus, juxta modum, et formam subsequentes. Placet nobis super provisione ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus, juris scripti reservationibus, et *Execrabilis*, ac *Ad regimen*, constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiae studium, ad quarumlibet ecclesiarum, et monasteriorum regimina, et alia beneficia ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum, et nostræ intentionis effectum, viri assumantur idonei, qui præsent, et prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis, et beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione inducti, et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inherentes, omnes patriarchales, archiepiscopales, et episcopales ecclesias, et etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, et officia, nec non canonicatus, præbendas, et ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, et regularia quæcunque, et qualiacunque fuerint, etiam ad

illam personam consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem apostolicam quocunque modo vacantia, et in posterum vacatura, nec non per depositionem, vel privationem, seu translationem per nos, seu auctoritate nostra factas, et in ante faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi, sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, et admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulorum, et in antea eligendorum, seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos, aut auctoritate nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque, et etiam per obitum cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quandiu officia actualiter tenebunt (videlicet, vicecancellarii, camerarii, septem notariorum auditoris litterarum contradictarum, et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum litterarum apostolicarum, et viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ Sedis, et viginti quinque abbreviatorum, nec non virorum commensalium nostrorum, et aliorum viginti quatuor capellanorum Sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) et etiam quorumcunque legatorum, seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ rectorum, ac thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus, vel deputandorum, aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, et in antea vacatura, ubicunque dictos legatos, vel collatores, seu rectores, et thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsitan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit; et etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsitan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, etiam per

obitum hujusmodi vacantia, vel in posterum vacatura. Rursus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, et ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica, sæcularia, et regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque, et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illam personam consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos, seu auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium, et episcopalium ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque prioratum, personatum, officium, canonicatum, præbendam, ecclesiam, aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum, seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectatiæ assecutio fiet, nunc vacantia, et in antea vacatura, plena super præmissis, omnibus, et singulis, cum fratribus nostris collatione præhabita, et matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum, et inane, si secus super præmissis, et quolibet eorum, per quoscunque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. « Item placet nobis, quod in metropolitanis, et cathedralibus etiam immediate subjectis Sedi apostolicæ, fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus const. fel. rec. Nicolai papæ III. incipit. *Cupientes*, expectabimus: et elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus canonicæ fuerint, providebimus; et si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, et evidenti causa, de dictorum fratrum consilio, de digniori, et utiliori personæ duxerimus providendum, proviso, quod confirmati prædicti, per eos provisi, metropolitanis suis, et aliis præsentent debita juramenta, et alia, ad quæ de jure tenentur. Et in monasteriis dictæ Sedi immediate non subjectis; et aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, et provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confir-



matione, et provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro monasteriis ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. Et de monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta, et tunc per commissionem, ad partes. De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque sæcularibus, et regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus, et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

§ 4. « Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impedimus nos, quominus de illis, cum vacabunt de februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat: reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, et non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationem beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, et omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem a Kalendis junii, proxime futuris ipsa currere incipiet, et durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

§ 5. « Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus, annatarum hoc modo currat. De ecclesiis cathedralibus omnibus, et monasteriis, viro- rum duntaxat, vacantibus et vacaturis, sol-

vantur de fructibus primi anni a die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cam. apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur: et si quæ excessive taxatæ sint, retaxentur; et quod provideantur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, et regionum, ne nimium prægraventur: at quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirent, et retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, et pro alia media parte infra annum sequentem; et si infra annum bis, vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur; nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia, vel monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis sæcularibus, ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectatarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam, a tempore possessionis intra annum; et debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur; duretque hæc observantia deinceps nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

§ 6. « In aliis autem, quæ per fel. recor. Eugenium papam Quartum, etiam prædecessorem nostrum, pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta, et decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordie præsentis non obviant: ista vice nihil volumus esse immutatum, et per hoc quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione faciendis litteris, propter compendiosorem descriptionem, Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censi non debet a Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

§ 7. « Et præterea, quia difficile foret præsentibus litteris ad singula, in quibus de eis forsitan fides faciendæ fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exhiberentur litteris plena adhibeatur; et proinde stetur, ac si dictæ præsentibus litteræ forent exhibitæ vel ostensæ, et

insuper quoque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. « Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, et voluntatis infringere, vel si ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. »

« Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, 1447. Kalend. aprilis, pontificatus nostri anno 2. »

## § XIX.

## SOLVUNTUR VARIE QUÆSTIONES CIRCA CONCORDATA GERMANIÆ.

536. *Utrum concordata Germaniæ sint favorabilia collatoribus ordinariis beneficiorum, quam regulæ cancellariæ? Per regulas cancellariæ generaliter reservantur omnes Ecclesiæ episcopales, etc. Juxta concordata conceditur de his feri electio in partibus.* — Quæritur I. Utrum concordata Germaniæ quoad reservationes beneficiorum favorabilia sint Germanis, seu horum collatoribus ordinariis, quam regulæ Cancellariæ? Resp. Affirmative: prout bene notat Laurent. Nicolart de *Concordatis Germaniæ*, tit. III. dub. 1. § 3; Georg. Branden super *Concordat. German.* quæst. 4. n. 43; et Pirhing, h. t. n. 363, not. 5. Qui reservationes regularum Cancellariæ haud immerito « ampliores et ordinariis duriores » præ concordatis Germaniæ pronuntiant: idque facile patebit ex differentiis eorundem. Primo enim juxta reg. 2. Cancell., reservantur « generaliter omnes Ecclesiæ parochiales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non monasteria viro- rum, valorem annum ducentorum florenorum auri communi estimatione excedentia, » et vacantia, seu vacatura. E contra in concordatis Germaniæ, si isthæc extra curiam vacaverint, etc., conceduntur de talibus fieri electiones canonicæ in partibus (quæ revera est insignis benignitas sanctæ Sedis erga Germanos) ita tamen, ut ejusmodi electiones postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione: prout latius habetur in relatis concordatis Germaniæ. § 3.

537. *Papa non sic allegans electionibus episcoporum juxta concordata Germaniæ factis, quin ex causa possit aliter providere.* — Notant tamen doctores, ac signanter Branden, quæst. 6. *Concordat. German.* n. 3, Papam non sic electionibus ejusmodi esse ligatum, quia ex evidenti causa, postposito electo, possit Ecclesiæ de alio prælato providere; tum quia istud suadet suprema, et absoluta ejusdem potestas, qua pro meliori Ecclesiæ gubernio, atque exigentibus justissimis causis, de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit. 4. de Concession. præbend.*; tum quia hoc ipsum declarant relata verba concordatorum Germaniæ § 3. ibi: « Et si canonicæ fuerint (electiones) eas confirmabimus; nisi ex rationabili, et evidenti causa de dictorum fratrum consilio, de digniori, et utiliori persona duxerimus providendum. » Hæc ibi.

538. *Per regulas cancellariæ reservantur octo menses collationi pontificiæ. Juxta concordata conceditur alternativa sex mensium.* — Deinde juxta reg. 8. (nunc 9.) Cancellar. reservantur collationi pontificiæ octo menses; videlicet mensis januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris demptis patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, quibus ad gratificandum, et quandiu apud suas Ecclesias personaliter resederint (sub certis tamen limitationibus) conceditur alternativa sex mensium. E contra concordata Germaniæ quibusvis collationibus inferioribus indistincte relinquunt alternativam sex mensium, pro collatione beneficiorum in ipsis vacantium; præterquam expresse reservatorum in eisdem concordatis § 2. et 3.

539. *Ibi beneficia vacantia in mensibus reservatis perpetuo remanent reservata: non hic.* — Tertio, juxta regulas Cancellariæ beneficia vacantia in mensibus reservatis, perpetua remanent reservata, seu affecta; adeo, ut de illis nullius alius, præter Romanum Pontificem, ullo amplius tempore disponere, seu illa conferre valeat. Per concordata vero Germaniæ Sedes apostolica adeo benignam nationi Germanicæ sese exhibere dignatur, ut post lapsum unius trimestris a die notæ vacationis in loco beneficii, si nondum apparuerit de facta provisione apostolica, concedat fieri collationem beneficii per collatores inferiores: sicque quodammodo patiat fieri devolutionem a supremo Ecclesiæ capite ad inferiorem, de quo plura inferius n. 566. et seqq.